



**I**oannes Spangenbergius Herdefſianus ab adoleſcētia bonis literis operam dedit, & omnis generis eruditionem ſibi comparauit. In primis uerò Theologiæ incubuit, & ſacrarum literarum uſum ſibi familiariffimū reddidit. Itaq; Northuſij in Saxonia paſtor electus eſt. eam uocationem ipſe ſuſcepit, & magna pietate peregit. Eo etiam tempore quo ab Eccleſiaſticis negotijs uacabat, libris inhærere, atq; aliquid in uſum poſteritatis conſcribere ſolebat. Nam Pſalterium carmine Elegiaco reddidit, et Catechiſmum maiorem cum Poſtilla Lutheri per quæſtiones explicauit. Deinde etiã Margaritham Theologicam compoſuit, & præcipuos

Chriſtianiæ doctrinæ locos breuiter declarauit. ſcripſit & librum de matrimonio, & multa alia huiuſmodi. Vnde Ioannes ſua eruditione & uirtute magnã ſibi inter doctos authoritatem conciliauit. Reliquit is Ciriacum filium patri quã ſimilimum, qui & ipſe hodie in Saxonia ob multifariam eruditionem & pietatem agnoſcitur. quemadmodũ & M. Hieronymus Mentzelius, quorum tantũ nomina cum uirtutis commendatione à Vuilhelmo Eccio Radenſi Vuirtzeburgi in mea per Germaniam peregrinatione 1565 indicata fuerẽ. Anon.